

**Exercitatio medica sistens aegrum mictu cruento laborantem / [Johann Michael Bertuch].**

**Contributors**

Bertuch, Johann Michael, active 1683.  
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.  
Universität Jena.

**Publication/Creation**

Jenae : Stanno Krebsiano, [1683]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/sju58bc4>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DUCE ET AUSPICE CHRISTO!

EXERCITATIO MEDICA,

Siftens

ÆGRUM

MICTU CRUENTO

LABORANTEM,

*Quam*

P R Æ S I D E

GEORGIO VVOLFF-

GANGO WEDELIO,

Med. Doct. Archiatro & Theoret. Prof.

Publ. S. R. I. Natur. Curiosor. Adjuncto,

*Præceptore, Patrono & Promotore studio-*

*rum suorum ætatem suspiciendo,*

Publicæ Philiatorum disquisitioni exponit

*in Acroaterio Medico*

RESPONSURUS AUTOR

JOHANNES MICHAEL Bertuch /

G O T H A N U S.

*Ad d. Augusti, A. O. R. MDC LXXXIII.*

F E N Æ,

STANNO KREBSIANO.

VIRIS

*Illustribus, Magnificis, Excellentis-*  
*simis, Consultissimis,*

**DN. CANCELLARIO,**

**DNN. CONSILIARIIS,**

In Illustrissima Aula, quæ Friedensteini  
est, eminentissimis & longe  
gravissimis,

**DNN. Mæcenatibus, Patronis**  
atque Promotoribus

*humilima cum observantia suscipiendis,*

**Exercitium hocce Academicum**

*in*

*devotissimi animi signum & ulteriorem studiorum com-*  
*mendationem humillime offert:*

**JOHANNES MICHAEL Bertuch / Philiaer.**



## *Præfamen.*

**A**Dmodum tenax in expendendo sanguine est natura, benè gnara, vitale hoc esse balsamum, & luculæ cordis unicum fomitem. Plurima hinc feri sunt excernicula in corpore, imo tantum non infinita, ut excidere, difflari, effundi, emungi & exspui possit, quando characterè vitalem & alibilem exuit, nulla quasi sanguinis.

Non nisi onerosum dimittit, ut levet machinam, ut tollat proportionem non respondentem reliquis, seu ipse collectus viscerum æquabili tono turgeat, seu, salibus peregrinis rarefactus, non contentus sit concesso spatio.

Fit tamen non rarò, ut ipse humor instar transfugæ exitum quærat, & volente nolente archéo alveos suos & parietes transgressus erumpat, erodatque claustra præpedita, viam commodantibus colis feri aliisve insolitis. Ubicunque patulum corpus visitur, fores patent, quibus abutitur sanguis elabens.

Mittimus consvetas magis vias, ubi vel laxius retinetur, vel facilius retunditur hic impetus, nares, os, alvum; terrifico magis aspectu exit cum urinâ, imò locum ejus occupat nonnunquam, quando vel sanguis, triste dictu, mingitur, vel sanguineum.

De eo hâc vice dum agere constituimus, supremum adoramus Numen, ut prosperè propositum cedat!

*Historia.*

**V**ir primarius LIX. annorum, temperamenti cholericò-sanguinei, staturæ proceræ, corporis aliàs robusti, assiduis laboribus deditus, ut nec somno debitum tempus concedat, arthriticis doloribus per novem annos subinde, sed paucorum dierum morâ, afflictus, manente hinc articularum robore & motu sat integro, nephriticos quoque insultus ter vel quater expertus, ad cachexiam pronus, post paroxysmum nephriticum usus lap. ☉. ppt. ʒ. ▽ petrosel. indeque lapillo cum sabulo excreto non sine levamine, pergens in dicto usu, paulò post sentit mictionem cruentam, quâ & ante biennium per XIV. dies affectus fuerat. Exceritur cruor aquosus sine dolore ullo cum urinâ exactè mistus, interdum subsidens, interdum permixtus manens; vires sunt debiles cum anorexiâ & cibi fastidio. Adhibitis opiatis, parcè licet, vox hæret, lingvæ, maxillarum & membrorum tremor accedit, redditus sibi recidivare sentit affectum cum atrophîâ, absque calore hecctico, cum continuâ stomachi eructatione, appetitu licet maximè prostrato. Petit pro contumaci & chronico malo consilium.

## Resolutio.



Affectus, qui affligit virum primarium, est *mictus cruentus*, & Græcis *αιμορραγία των νεφρων*, Hippocrati *δενσις τῶ αιματι* in genere audit, interque symptomata excretorum & retentorum locum sibi vendicat.

Adesse hunc affectum elucescit ex signis

1. ESSENTIALITER INHÆRENTE, quod h. l. anxie non quærendum. Ex ipsâ enim relatione constat cruorem a quosum sine dolore cum urinâ permixtum excerni.

2. Idem confirmatur ex ESSENTIALITER CONSEQUENTIBUS symptomatibus, quorum non pauca agrum nostrum divexant. Sic in *facultatis naturalis* læsione se sistunt anorexia cum cibi fastidio, continua stomachi eructatio, atrophia absque calore hæctico; *vitalis*, virium debilitas; *animalis*, vocis, post opiatorum usum, interceptio, linguæ, maxillarum, & membrorum tremor.

3. CAUSÆ PRÆGRESSÆ etiam consentiunt, error scilicet in rebus non naturalibus, præprimis circa motum & quietem: item arthritici dolores & nephritici insultus, ad hunc affectum maximè collimantes.

4. Nec SIMILITUDO abnuat, sive relatio instituat ad alios simili morbo laborantes; quilibet enim vel ex vulgo quoque ejusmodi excretionem sanguinolentam pro mictione cruentâ statim agnoscit; sive ad se ipsum, ante biennium quippe eodem malo correptus, pro tali habitus fuit atque curatus.

SUBJECTUM PRINCIPALE seu INHÆSIONIS statui-  
mus renes de tono suo dejectos & maximè debilitatos, in specie quoad glandulas & vasa sanguiflua. Arteriæ enim ex emulgentibus prodeuntes totam renum substantiam perreptant, inque plurimos surculos divisæ, tandem in exiles abeunt ductus, quibus deinde cum glandulis minimis egregia intercedit commu-  
nio, ex quibus superflua seri portio separata, per peculiare tubulos, à *Malpighio* eleganter descriptos, in pelvis cavitatem de-

stillare consuevit. His verò arteriosis ramulis ubique respondent  
venulæ exiles, quæ sensim in majores collectæ, venis emulgenti-  
bus iterum sese immiscent, & percolato, per ductus modò nomi-  
natos, sero, ejusdem residuum, cum sanguine prius ab arteriis  
adducto, revehunt. Horum igitur vasculorum renalium oscu-  
la, cum partim à calculo, ex ergastulis suis medicamenti ope  
cum sabulo expulso, partim ab acrimoniâ seri rodente & exti-  
mos parietes reterante, recludantur, & glandularum pori ab  
iisdem, si non planè rumpantur, laxiores redduntur, acceden-  
te renum imbecillitate, certè tunc sanguini præterlabenti, quem  
retinere nesciunt, exitum unâ cum urina concedere coguntur,  
unde profluvium hocce cruentum.

SUBJECTUM ADÆQUATUM seu *collectionis* est vesica  
urinaria, quæ sanguinem cum urinâ renibus exstillantem per  
ureteres excipit, cavitateque suâ tamdiu retinet, donec copiâ  
irritatus sphincter ingratum hunc hospitem ejicit.

CAUSA PROXIMA & IMMEDIATA est reclusio vasorum  
sanguifluorum, ad glandulas & pelvim terminatorum, p. n.  
Hujus autem cum à Medicis tres numerentur species, *ἀνασφύω-  
σις*, *διασφύωσις* & *ἀνασφύωσις*, media in hoc casu præcipuè erit  
accusanda, tum ob lapillum cum sabulo excretum, tum ob san-  
guinis acrimoniam.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR, quoad *essentiam* confi-  
derata, est duplex, vel *calculosa*, vel *humorosa*. *Calculosam* con-  
stituit lapillus circa carunculas papillares concretus, qui post-  
modum, continuato lap.  $\text{S. ppt. c. } \nabla$  petros. usu, carcere suo  
ejectus duritie & asperitate extrema vasculorum orificia rum-  
pendo & glandularum poros relaxando talem mictionem san-  
guinolentam causatur; *Humorosam* verò M. S. partibus pere-  
grinis, acidis, acibus biliosis, terrestribus salinis,  $\text{♀}$  eis fixis sca-  
rens.

Quoad *essendi modum* peccant hæ causæ morbosæ 1. *quan-  
titate*, quatenus in magnâ adsunt copiâ & naturæ legibus minimè  
respondent, sed limitem transcendentem partibus debilioribus mi-  
nantur periculum.

2. *Qualitate*, dum per consveta aliàs loca, renes nempe, poros, aliq; emunctoria rite non evacuantur, sed stagnantes excrementitiam naturam magis magisque induunt, & à diversis fermentis diversâ indole inquinatæ, acidâ præprimis, acri, biliosâ, viscidâ, & eâ, prædominium obtinente, renibus sese insinuant, illosque jam debiles in officio suo turbant, magisque laceflunt, ut seri separationi decenter præesse nequeant.

3. *Motu tum generationis, tum locali.* Generata fuit materia vitiosa per *συναθροισμὸν*, in ipso loco affecto, sensim congestâ materia & coagulâtâ in tubulis renum, qui peregrinus hospes malè afficit parietes. Extra eundem verò præcipuè per *πνευματισμὸν*, tam à vitio totius, cacochymiâ sc. biliosâ, acida, arthriticâ, quàm partium determinatarum, ventriculi, hepatis, pancreatis, aliisque visceribus depuratorii, ubi filtrationes & evacuationes institui debent. Hæc singula partis mandantis vicem gerunt, sicuti renes recipientis, debiles & apti magis redditi, tum naturali dispositione, constituunt quippe sentinam publicam, evehendâ colluviei serosæ inutili destinati; tum p. n. & morbosâ, calculo vexati. *Via* sunt arteriæ, per quas materia delinquens ceu per canaliculos ordinarios defertur ad tubulos renum glandosos, ibidemq; vel collecta in lapidem concrefcit, vel exitum quærens erosionem rupturamque intendit.

Causas mediatas proximiores excipiunt CAUSÆ REMOTIORES, ubi è NATURALIUM classe sese offert.

TEMPERAMENTUM, quod in ægro nostro Cholericò-sanguineum, & ob lymphæ blandæ diluentis defectum, ad acrium biliosarum viscidarum impuritatum generationem maximè proclive.

ÆTATIS quoque terminus assentitur. In ætate enim ad senium vergente constitutus, ubi ob deficientem calorem nativum, qui oleosas sulphureas particulas sanguinis depauperare, acidas verò, acres, biliosas & viscidas augere solet, corpus facile ad morbum præsentem inclinare potest.

Nec HABITUS corporis & sexus potior huic affectui incommodus; rarius enim videas in sequiori eundem.



EXRERUM NON NATURALIUM numero primum occupat locum motus intempestivus. In historiâ dicitur, quod assiduis laboribus fuerit deditus, quod de durioribus vix intelligendum, sed de talibus qui officio & conditioni responderunt, quique debito tempore suscepti periculum non minantur. Verum assidui cum fuerint, aliter fieri non potuit, quin partibus debilitatis, depauperatisque spiritibus, vitiosos humores in sanguine cumulando auxiliatrices malo huic porrexerint manus. Imò post partum statim si fuerunt repetiti, quid mirum, si ex cibo nondum satis cocto & digesto pravus chylus, ex pravo chylo sanguis pravus, partibus heterogeneis vitiosis abundans progignitur, affectui nostro maximè commodus?

VIGILIAE suum quoque addunt symbolum, consumendo spiritus animales, cruditatesque in corpore augendo.

De victus ratione, quoniam in historiâ nihil monetur, ut & de animi pathematibus, illa hâc vice præterimus.

EX CAUSIS PRÆTERNATURALIBUS accusandi arthritici dolores quibus per IX. annorum decursum variè subinde fuit correptus; & insultus nephritici, quos etiam aliquoties expertus. Hi affectus, quemadmodum amicabilem fovent conspirationem, ut, teste experienciâ, rarò alter absque altero affligat corpus humanum, ita tertium sodalem ceu fidum Achatem, sæpe arcesse-re solent, qui est miæus cruentus.

Expositis sic morbi hujus causis, symptomatum ratio paucis, priusquam ulterius pedem moveamus, erit evolvenda.

1. *Excernitur cruor aquosus sine dolore*, quia mucago naturalis, ureterum & urethræ parietibus obducta, nondum abrafa, multò minus illorù substantia corrosa, adde, sanguis ipse magis lubricus.

2. *Interdum subsidit, interdum cum urinâ permixtus manet cruor*; quando nempe grumosus, petit fundum, quando verò resolutus & salibus magis tinctus, cum urinâ manet permixtus.

3. *Vires sunt debiles*, ob defectum spirituum cum sanguine simul deperditorum.

4. *Anorexia & cibi fastidium* adsunt, partim ob consensum nervo-

nervorum exilium sexti paris, ventriculo æquè ac renibus communium; partim ob fermenti stomachalis activitatem, à congerie pravorum humorum in ventriculo stagnantium obtusam, & imbecilliozem redditam.

5. *Adbibitis opiatis vox heret*, propter spiritus animales à sulphure opii narcotico ex parte fixatos, nec in nervos vocales rite influentes.

6. *Lingua, maxillarum & membrorum tremor accedit*, ob eandem ferè rationem, quam subsequitur irritatio nervosi generis.

7. *Affectum recidivare sentit*, ob causæ morbificæ laceſcentis, calculi & salium, præsentiam, non penitus firmatis & occlusis poris, unde spiritibus licet in ordinem redactis, novus, lege circulationis, sanguis ad patulas, nec dum firmiter occlusas adpellit vias.

8. *Atrophia absque calore bestico adest*, quia particulae sanguinis utiles, blandæ, oleosæ balsamicæ absumuntur, inutilis, acidæ, acres, viscidæ coacervantur, absque tamen fermentatione auctâ.

9. *Continua stomachi eructatio* provenit ab humoribus acidis, biliosis, acris, salsis, ventriculi plicis membranaceis in hærentibus, illasque continuò vellicantibus, adde & ob consensum dictum renum.

10. *Appetitus prostratus*, quia fermentum ventriculi malè dispositum.

CIRCA PROGNOSES EVENTUS, seu SALUTIS & MORTIS, dubius, periculosus & difficillimæ est curationis affectus hicce; speramus tamen meliora adhuc, seu potius non planè desperamus, modò strictissimè observet diætæ regulas, & alia præcepta, præprimis cum sanguis, optimum vitæ nostræ balsamum, in enormi quantitate non excernatur, necque renum exulceratorum signa appareant.

LONGITUDINIS tempus strictè determinari nequit, sed per aliorum exemplorum inductionem, & celeberrimorum practitorum testimonio, diuturnum pronunciamus malum & con-

*tumax*, quod multum postulat temporis ante, quam vasa erosa & aperta occludantur, consolidentur, atque vires recuperando sanguinis ipsius, exturbatis humoribus vitiosis, vigor restituitur.

EVENTUS MODUM speramus lentâ conversione ad salutem, occlusis nempe & consolidatis vasorum osculis sanguinem fundentibus; quo facto commodè reliquis obviam ire poterimus symptomatibus per alterantia & confortantia.

Hinc absolutis iis quæ ad theoriam pertinere visa fuerunt, positoque prognostico, CURATIONEM ipsam acceleramus, illamque juxta consuetam medendi methodum instituentes triplici absolvimus indicatione. *Curatoria*, quæ morbum præsentem in paroxysmo respicit, vasorum apertorum occlusionem procurare, & sanguinis motum perversum in ordinem redigere jubet. *Præservatoria* causas tum antecedentes observat, tum continentem, ipsum nimirum calculum, & omnia quæ malum producere atque de novo suscitare valent, attendenda & removenda monet. *Vitalis* viribus præsentibus non modò, sed & futuris consulit, humores vitiosos auferendo, sulphur balsamicum sanguini restituendo, taleque conservando.

Huic autem Indicationum ternioni satisfieri potest ex tribus remedium gazophylaciis locupletissimis.

EX CHIRURGIA generosissimum depromitur remedium VENÆ SECTIO, in brachio vel pede revulsionis ergò ad ℥ij. vel iij. instituenda. Hæc, uti autore *Celso*, *Platero*, *B. Rolincio*, aliisque in omnibus hæmorrhagiis præsentaneum afferre solet auxilium; ita, consentiente *Riverio*, egregiè locat operam in mictu cruento, parcâ sed frequenti manu adhibita.

CUCURBITULAS, V. S. vicem gerentes, commodè quoque suadere possumus, & lumbis, si cruor copiosè excernatur, applicandas. Nec hæmorrhoidum apertio, & frictions ac ligaturæ in partibus superioribus institutæ, suo privandæ encomio.

PHARMACIA plura, imò præstantiora ac tutiora suppeditat medicamina, tum in paroxysmo, tum extra eundem usurpanda. Extra paroxysmum laudamus

LENIENTIA, quæ saburram circa vias primas hærentem blandè educunt, simulque materiam arthriticam & nephriticam respiciunt, e. g.

Rx. *anim. rhabarb. ziiij.* Ræ  $\text{♀}$  *ri 3j.* S. *Laxirende*  
*Zinctur uffetliche mahl.*

Rx. *caff. recent. extr. ʒß.* *pulp. tamarind. ʒij.*  
*sacchar. q. s. M. F. Bolus. D. in chart. S. Laxirzucker.*

PRÆPARANTIA cum alterantibus eadem facilè vel præmitti vel interpolari purgantibus possunt, temperandis stimulantibus salibus debita, ex quorum farragine unicam solummodo præscribimus potiunculam:

Rx.  $\nabla$  *agrim. ʒij.* *chamedr. chemepit. plantag. a. ʒj.*  
 Ræ  $\text{♂}$  *cydon. ʒij. sir. agrim. ʒvj.* M. D. in fict.  
 S. *Träncklein Löffelweiß zu nehmen.*

PURGANTIA humores præparatos evacuantiã fortiora in usum vocare non audemus, metu ne, iis nimium agitatiss, malum recrudescat. Leniora verò & adstrictionem post se relinquentia ad præservandum morbum tutius adhiberi poterunt, N. G.

Rx. *rhabarb. Alex. ʒß.* *scammon. rosat. gr. v.*  
 $\text{♀}$  *Plat. gr. iv. ʒo anis. gr. j.* M. F. *pulv. D. in Chart.*  
 S. *Purgier Pulver.*

Rx. *decoct. aperitiv. Mes. ʒiiij.* *mann. Calabr. ʒvj.*  
*scammon. rosat. gr. vj.* *ʒir. de cichor. cum Rhabarb. ʒß.*  
 M. F. *Hauftus S. Purgier Trancf.*

Rx. *MF ʒear. Querc. ʒß.* *scammon. ʒt. gr. v.*  
*extr. trochisc. alband. gr. iiij. c.* R  $\text{♀}$  *ʒat. q. s. F. l. a.*  
*Pilulæ no. xiiij. S. Purgier Pillen.*

Rx. *herb. veronic. agrimon. chamedr. a. Mß.*  
*flor. hyperic. paralys. cent. min. a. p. iiij.*  
*fol. sen. Alex. s. s. ʒß.* *rhab. Alex. ʒj.* *mechoac. alb. ʒiß.*  
*bermodact. myrobal. omnium a. ʒß.* *cost. aromat. ʒj.*

*cryst.* ℞ Div. contus. g. m. D. in find. rubr. S. Species  
zum Laxierwein.

VOMITORIA in affectus curatione & preservatione pa-  
rum prodesse videntur, quapropter iis, ceu supervacaneis, o-  
missis, meliora quærimus.

Nec ex DIAPHORETICORUM loculo mutuabimur,  
præterquam fixiora, quæ lympham particulis salinis, impuris,  
rodentibus inquinatam corrigant, divertant, foras per cutis spi-  
racula impuritates eliminant, atque ita humores vitales con-  
temperando in ordinem reducant.

℞. bezoard. Sal. terr. sigill. lemn. vel Siles. a. g. xij.  
C. C. ust. ℞. M. F. pulv. D. in ch. S. Schweißtreibend  
Pulver.

℞. ♂ Al. cachect. C. C. philosoph. ppt. a. gr. xv.  
⊖ vol. lumbricor. mag. anod. a. g. iij. M. S. ut  
ante.

℞. mist. simpl. ℞. extr. torment. agrim. a. g. iij.  
essent. anod. gtt. v. M. in vitro. S. Schweiß-  
treibende Mixtur.

DIURETICA videntur nociva potius primo intuitu, quod  
per locum affectum evacuent: ast locum habent leniora saltem,  
quæ adstringendi vi simul pollent, quatenus corrigendis & e-  
ducendis humoribus acribus, iisque temperandis inserviunt,  
unde nec h. erunt de nihilo.

℞. Ræ fl. pap. rhæad. ℞. D. in vitr. S. Alterir & Tinctur.

℞. lap. S. ppt. ℞. troch. alkek. c. op. ℞j.  
cinnab. nat. ℞. M. F. pulv. S. Linderndes Pulver  
uff 3. mal.

℞. terebinth. cypr. extr. agrimon. a. ℞j.  
troch. alk. c. op. ℞. mag. oc. S. ℞.  
glycyrrhiz. ppt. g. xv. M. F. l. a. Pilulæ. S. Heilende  
Pillen.

ALTERANTIA denique & confortantia, ad quæ in pa-  
roxyfmo

roxyfmo tanquam ad facram anchoram confugiendum, exoptatum promittunt levamen, tam internè quàm externè adhibita. Unicè igitur & præcipuè feligenda veniunt, quæ balsamicâ virtute prædita sanguinis vitiofas qualitates corrigunt, oscula vaporum referatorum conglutinant, renibus tonum & robur restitunt, viresque labefactatas restaurant.

R̄. R̄æ corall. rubr. hemat. a. ʒj. ♂ astring. ʒß.  
S. anhaltende Tinctur dos. gt. xxx.

R̄. essent. traumat. Rolf. ʒij. anodyn. ʒß. M. in vitro.  
S. anhaltende Essenz.

R̄. sangwin. hyperic. ess. traumat. VVed. a. ʒj. M. S. ut supra.

R̄. R̄ Catech. ♂ astring. a. ʒiß. M.

R̄. spec. diaplantag. Myns. ʒj. croc. ♂ astring. ʒj.  
M. F. pulv. S. anhaltend Pulver.

R̄. croc. ♂ astring. corall. rubr. ppt. spodii a. ʒj.  
rad. torment. ppt. ʒß. M. S. ut ante.

R̄. ∇ plantag. agrimon. hyperic. a. ʒiß.  
fir. corall. Querc. de symphyt. Fernel. a. ʒß  
ess. ♂ astring. ʒj. M. F. potio. D. in fict. S. anhaltend  
Tränckl. uff etlichmal.

R̄. ∇ torment. bistort. plantag. bugloss. borrag. a. ʒj.  
cord. Herc. Saxon. frig. ʒß. R̄æ corallior. ʒij.  
mag. corall. lap. ʒ a. ʒß fir. de symphyt. Fernel. ʒj.  
M. F. potio. S. Stärckträncklein.

Similiter species pro cerevisiâ medicatâ proderunt seq.

R̄. fol. agrim. sanic. veronic. a. Mß.  
summit. hyperic. millefol. rubr. a. p. iv.  
flor. rosar. rubr. balaustior. a. p. ij.  
rad. torment. bistort. aa. ʒij. cass. lign. ʒß.  
concis. & contus. f. a. D. in sind. rubr. & Chart. S. Species ins Bier.

EXTERNAE seu TOPICAE etiam non sunt prætereun-  
da, ut & internorum vim adjuvent, & ipsa affectas partes  
solentur.

- Rx. *unguent. comitiss.* ℥℞. *croc.* ℥ adstring. ℥ij.  
 ☉ *myrtill.* q. f. M. F. Linim. S. anhaltend Sälblein.
- Rx. *unguent. refriger.* Galen. *comitiss.* a. ℥℞.  
 ☉ *hyoscyam.* ℥j. *cera* ℥℞. *terebinth.* gt. xv. M. F. linimentum.  
 D. in pyxid. S. ut ante.
- Rx. *fol. querc. plantag. burs. pastor. musc. prun. sylvestr.* a. Mj.  
*flor. rosar. rubr. hyperic. sanicul.* a. M℞.  
*rad. symphyt. maj. bistort. tormentill.* a. ℥℞.  
 concis. & contus. gr. m. D. in chartâ.  
 S. Species zum qufflegen.

Coquantur sacco inclusa in cerevisiâ secundariâ, & tepi-  
da lumbis sæpius repetendo imponantur.

Tandem cum DIÆTA, ægro nostro accuratè observandâ,  
concludimus.

IN VITALI AER feligatur serenus, radiis solaribus tempe-  
ratus, nec atomis boreæ austrique impurioribus refertus, qui  
hieme suffimentis convenientibus corrigendus.

IN NATURALI CIBI sint facilioris concoctionis, conglu-  
tinandi simul, & consolidandi possidentes virtutem, ut juscula  
avenacea, ptisana hordeacea, pultes, gelatina C.C. Exulent contra  
ea tenues, nimis fluidi, fermentationem facile excitantes, saliti, fla-  
tulentis, fumo indurati, acres, austeri & similia. Potus sit cere-  
visia defecata, pura, herbis consolidantibus, vulnerariis, ad-  
stringentibus medicata, vinum rubrum parcius usus. Lac  
ovillum & caprillum, ab autoribus ceu specificum in hoc casu  
laudatum, etiam usurpari poterit.

IN ANIMALI LABORES NIMI & VIGILIE arceantur, somno  
verò longius concedatur tempus. Hic enim, teste Jouberto, o-  
mnes sistit fluxiones, præter sudores. ANIMI PATHEMATA vehe-  
mentiora fugienda, ira proscribatur imprimis, siquidem feroci-  
entes bilis particulæ, ad sanguinem delatæ, universam turbant  
corpo-

corporis œconomiam, inde acrimonia in sanguine aucta an-  
sam dat mictioni cruentæ haud levem. VENERIS usus, ad quem  
arthritici aliàs admodum proclives, ad tempus interdictus esto.  
EXCRETA & RETENTA ad naturæ leges, quantum possibile, com-  
ponantur, & si alvus officii sui immemor fuerit, medica-  
mentis admoneatur idoneis.

F I N I S.

**T**hesaurus miserum est la-  
bascente nave profundi,  
cum venti fera vis aqua-  
rumq; fulmina cogunt.  
Ut servet fragilem ratem ductor ar-  
tibus instat,  
& quando emicuit probè, laude  
pergit ad oram.  
Non minus medici decus, quando  
corpora servat  
undis compositis, quoad sanguis  
integer extet.

*Gratulante affectu profectus in arte  
Medicâ insignisimos commendo*

P R Æ S E S.

Prima



**P**Rima cathedra Tibi lau-  
dem; parit altera famam;  
Tertia honorifica est; quarta  
*Begleia* dabit.

*Coniunctissimo suo Bertuchio  
hæc pos.*

Augustinus Henr. Faschius, D.  
P. P. p. t. Decanus.

---

**E**N! Cathedram Medicam conscen-  
dis, BERTUCH, & inde  
Sanguinei MICTUS fata cru-  
enta fugas.

Gratulor ex animo! Pallas Tibi  
spondet honores,  
Atque brevi lauru cinget Apollo  
comam.

Nobilissimo Dn. Bertuchio, Amico  
svavissimo, de proper tec.

L. Joh. Godfr. Berger.